



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1000. Usque Ad Annum 1063

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1761

VD18 90117956

§. 8. Nicetas retractans.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66323](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66323)

Sæculum XI.
A.C. 1054.

§. VIII.

Nicetas retractans.

Narrat. ap. Baro. an. 1054. to. 9. Conc. p. 991. Nec mora longa; sententiam retractavit Nicetas, quod in hunc modum actum est. In Festo S. Joannis eodem anno millesimo quinquagesimo quarto, cum tres Legati Pontificii ad Monasterium Studiense in civitate Constantinopolitana se contulissent, præsentem Imperatorem, instantibus Legatis, Nicetas Pectoratus Monachus Libellum, nomine suo contra Sacram Sedem & totam Ecclesiam Latinam vulgatum, cum Titulo: *De Azy- mis, de Sabbato, & de Matrimonio Presbyterorum*, anathematizavit. Item anathema dixit omnibus illis, qui Ecclesiam Romanam Ecclesiarum omnium primam esse negarent, aut ejus Fidem nunquam non Orthodoxam reprehenderent. Moxque Legatis urgentibus Imperator præsentem tota frequentia Nicetæ Libellum flammis tradi jussit. Et sic discessum. Altera die Nicetas ultro Legatos extra civitatem in Palatio *Pigi* diversantes adiit, & dubiis omnibus, quibusangebatur, solutis, iterum omnia dicta sua, facta, & molimina contra Sacram Sedem sponte anathematizavit. Ita in Communionem Legatorum receptus, firmo exinde amicitiae fœdere ipsis junctus est.

§. IX.